

burgensem, Arnheimensis Ecclesiae Ministrum. Hic officio devolutus, Lubecam venit, & pertracto in societatem Tanto-
vio, separatissimum molitus est. Lubeca abire iussus, Altona-
viam concessit, ibidemque in coetu Mennonistarum Oratoris
aliquando vices sustinuit. Hoc enim sanctulis istis, qui ad
indifferentissimum nimis sunt proclives, insolens haud esse, suo
pariter exemplo testatum fecit Christ. Hohburgius, a P. I. Spe-
nero *Beati* quidem, & *pii*, affectus encomio, sed rectius a D. D.
Io. Franc. Buddeo indignus habitus, qui Lutheranis annumere-
tur. Sed qui Tantovio offendiculo fuerat, is occasionem a Tan-
tovio sumpsit resurgendi. Audita namque eius Palinodia, ani-
mum, quem solidissima Lubecensium scripta, iam ante, frege-
rant, in melius mutavit, suamque doctrinae confessionem, pu-
blico sermone, Altonaviae edidit. Extat ille sermo, hoc titulo
inscriptus, *Hertzens-Grund Jacobi Tauben*, &c. vid. Minist. Tri-
polit. P. I. *der Lehr und Schutz-Schrifft* in Praef. p. 21. nec non c. I.
§. 40. p. 151. Arnoldum si audiamus P. III. c. XV. §. 7. p. 143. in-
opia, qua post contractas nuptias laborabat, adactus, hanc mo-
do retractationem dedit, ut Lutheranos sibi conciliaret. Qua
in re iudicium committimus illi, qui *καρδιογνώστης* est. Videtur
tamen aliud facile nobis persuadere constantia, quam ad mor-
tem usque praestitit, etsi, quod ipse fatetur Arnoldus, vitam in
egestate degere debuerit.

§. LII. *PETRVS CHRISTIANVS a VRIMERSHEIM*, quem
alii Friemersheim, aut Brymersheim, nominant, gente fuit Bel-
ga. Cepit is veritatem, a Megalandro Luthero restauratam,
agnoscere, eamque ob causam ex patria fieri profugus debuit.
Venit igitur Lubecam, & ibidem A. clo Io XXVI. primus Ev-
angelii doctrinam docuit. Anno clo Io XXX. Antistes Ia-
cobaeus constitutus est. Clam tamen cum Anabaptistis fecit,
quorum erroribus una cum Io. Flaksbartio, Templi Cathed-
ralis Antistite, Lubecam inficere voluit. Quod tum de-
mum innotuit, cum Georg. Wollenberus, A. clo Io XXXV. Gvel-
ferbyti tormentis subiiceretur. Is enim inter alia, & hoc con-
fessus est, teste Chronico Lubecensi Kirchringiano p. 207. Ex
quo idem commemorat, quem iam semel, ac iterum, pro me-
rito, laudavimus Io. Mollerus, in Isag. in H. L. C. P. IV. c. V.